DE

SEPTIMO ITALICO CONGRESSU

DE SEPTIMO ITALICO
CULTORUM SCIENTIARUM
CONGRESSU

HABITO NEAPOLI ANNO MDCCCXLV

LIBRI QUATUOR

QUINTINI GUANCIALI

NEAPOLI
EXCUDEBAT CAIETANUS NOBILE
MDCCCXLV

CLARISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE VIRO

EQUITI NICOLAO SANTANGELO

FERDINANDI II UTRIUSQUE SICILIAE REGIS

AB INTERIORIBUS REGNI REBUS

QUINTINUS GUANCIALI

S. P. D.

Cum tanta celebritate famae, et incremento scientiarum inter Italiae urbes mos invaluerit Congressibus sapientissimorum virorum designari quotannis, et ipsa contentione laudis munificentissimo Regi nostro Parthenopem hoc anno auspicari placuerit, vix patriae, caeterisque Siciliarum incolis, Vir excellentissime, te praesidem renuntiatum innotuit, non tantum studia, et disciplinae naturales, sed ipsae humanae litterae, omnesque artes ingenuae, cognatione quadam, sese extollere coeperunt; et musae quasi ipsius naturae asseclae sibi veluti tutelam, fautoremque vindicarunt. Et me tu de hoc nobili perquam

sublimi argumento adeo desiderio inflammasti, ut, quamvis difficultates maximas, atque angustias temporis animo perpendissem, tamen fretus humanitate tua, et captus iisdem materiis, quae mihi acceptae, et familiares esse coeperunt hujuscemodi poeticis lucubrationibus antea exaratis, me iterum commercio musarum naturae arcanis inserere non dubitaverim. Et qualis, quantusque mihi stupor, quum prima lectione exordientis carminis te tenui, et acri judicio tuo submisi! Agnovi hominem tot publicis negotiis versatum, tot, tantaque mole rerum gravatum sic illa primigena castitate, et antiquorum hominum cultiori

sapientia latinis litteris antecellere, ut me cognoverim non lenociniis musarum Maecenatis animum detinere, sed in conspectu acerrimi, et longe sagacissimi magistri adesse, et sub disciplina versari. Sed ista tui admirabilis ingenii facultas adeo mihi incitamento fuerit, ut citius quam credere potuisses, ipsis sapientibus, te duce, congredientibus, et ego pedetentim carminibus exarandis, opus absolverim. Quam nemo sit qui dubitet, ipsum titulis omnibus esse tui juris, fiduciosissime tibi defero: quod si in tanta varietate disciplinarum doctrinam tot amplissimorum virorum, ut par erat, minime attinxerim: si peritiae, et in grandiori

apparatu rerum solertiae tuae ingenium peridoneum mihi defuerit, quum patriae tamen, et Italiae, quantum in nobis erat, observantiae pignus, et tibi, quod erat in votis, leve documentum grati animi mei significare potuissem, me magnopere beatum existimo, et in qualibet judiciorum sententia acquiescere minime pigebit. Fac ut excipias animo laeto, incremento litterarum, patriaeque rebus diutius valeas, et me, ut facis, tueri pergas.

Dabam Neapoli Kal. Oct. A. R. S. MDCCCXLV

LIBER PRIMUS

Namque alid ex alio clarescere corde videmus
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

Lucr. de rer. nat. Lib. V.

Quo premet usque rigens haec subter inertia vatum
Pectora, nec gelida solvet torpedine sensus
Acrius irritans animos vis incita Phoebi;
Nec clangore tubae canet aemula musa Maroni
Magnanimos virtute viros, populumque potentem,
Atque trophaea ducum, et meritos post bella triumphos?
Num Phoebi insperatus amor, num magna facultas
Ingenii, sterilisve diu modo vena recessit?
Oh! quoties calet illa animi irrequieta cupido,
Et mihi musarum redit in praecordia virtus,
Quam subito hos inter motus et pectoris aestus
Deficit, et maletuta agitat: quae facta volenti
Oestro alimenta dabit, quem tanto carmine dignum
Evehet ad Superos, victriciaque arma sequutum,
Afflantemque inter medios virtutibus hostes?

Sufficeret coepto, et plenus quam viribus ille,
Qui late populos ferali turbine belli
Trusit victor ovans, totumque exterruit orbem,
Subvertitque vices, revoluto cardine, rerum.
Sed tamen unde vago sibi pabula musa colore
Mira leget? captum superant quae facta peregit,
Et stupefacta recens nobis non admovet aetas:
Quis deus intererit, si dignus vindice nodus,
Dum flagrans virtute sua scidit omnia, et ipsa
Crevit in adversis virtus praesaga futuri?
Hunc sibi posteritas vix tot miracula credens
Vindicat, et coeptis Superos adstare putabit,
Nec posse hunc unum pugnando vincere saecla. [1]
Sed nunc fata negant, nunc pacis volvitur aetas,
Atque catenatus vinclis fremit ore cruento
Mars super arma sedens: et pacis saecula currant;
Quandoquidem Italiae miserae per tristia bella
Barbarus irrumpens, et ovantes sanguine dextrae
Turparunt vultus, et diae frontis honores!
Sic, tantas reparare minas, et vulnera possint,
Tangit honos italos jam facto foedere Reges
Artibus, et studiis meliora ad commoda vitae;
Atque ultro sua quemque trahit solertia mentis:
Sic munita virùm, et sapientum templa tenere
Nunc juvat, et sacris illuc accedere musis,
Et canere, et populis oracula promere rerum.

Tu mihi, Borbonidum claro sate sanguine Princeps
Nunc adsis, Fernande; tuas ex ordine laudes,

Et patrios fastus, cultusquo, et Palladis artes
Attollam; nam sponto tuo sub numine eunt res,
Et sibi pacato gaudet moderamino pacis
Otia Parthenope haec inter; teque auspice, passim
Solertes animos sapientia dirigit, et nunc
Convocat ipsa viros doctrina, et mente vigentes
Sidero diverso has laetas accedere ad oras:
Naturaeque agitans causas exquirere, suadet
Certare ingenio, et multa contendero laude.

Septima jam laetis series volventibus annis
Labitur, alternatque vices memorabilo tempus,
Quo primum Princeps, qui magno nomine notus
Hetruscos lato populos ditione gubernat,
Fata movens, et secum instinctus mente animoquo
Volverat, italicae sanae rationis alumni,
Ut data libertas, possint sociare quotannis
Ingenii vires, atquo illis certa facultas
Scrutari causas rerum, ot protendere leges
Naturao: hinc magno Regum sub honore recepti
Lustrarent italas urbes, passimque vagarent.
Volverat haec secum patrio inflammatus amore
Dux pius, et fati Italiao miseratus iniqui,
Qua facere id possit, praeconia vertere famae
In melius ratione nova; et si bellica virtus
Pectoribus, nimium vicibus fatisque repulsa,
Et prisca sine laude patrum, sopita quiescit,
Nunc ratio, nunc mentis honos, artesque vigerent;
Et rerum incrementa simul diffusa per urbes

Ausoniae, saltem populis solatia ferrent,
Ut quondam ex adyto cordis responsa dedere
Huc multa virtute sophi super aethera noti:
Propositique tenax hoc firmo pectore fixit.
Assensere itali proceres, et motibus ipse
Congressus vix signa dedit Dux omine laeto,
Pisarum extemplo successit sedibus altis
Mentibus arrectis agmen sociale Minervae;
Atque omnes agit unus amor, fitque aemula virtus,
Emicat et praesens, animisque illabitur ultro,
Acrius ingenium collectis viribus afflans:
Et rudimenta novo dulcique reperta labore
Exagitant, et quisque suo sub praeside certat.
Tunc primum aethereus, mirum pulchrumque relatu,
Spiritus informat sublata mole colossum
Illius, arcanas potuit qui noscere causas,
Astraque caelorum motuque, et luce replevit.
Et quatitur moles, patrios testatur honores
Conciliumque virûm: at triplici circumdata luce
Effigies torquet radios, animosque requirit,
Et revocat portenta sophi.[2] Tumque agmine ovanti,
Si quando primo arrisit fortuna labori,
Qua circum fluitans sinuato labitur amne
Eridanus, gressus Taurina ad moenia tendunt.
Nec minus afflantes foecundam Pallade mentem
Dogmaticas agitant vario certamine causas,
Principis hospitio freti, magnoque favore.
Hinc iterum, collecta acie, jam tempore lapso,

Indulgent studiis, animisque volentibus urbem
Conveniunt, Leopolde, tuam majora professi:
Paciferumque genus, Florentia, moenibus almis
Excipis, et quanta rapis huc dulcedine mentes
Dum vigil, et placido lustras media agmina vultu,
Egregiosque ausus imples, Dux inclyte, praesens!
Quisque suae dat mentis opes, penitusque recursat
Dulcis amor laudis sub corde; et crevit eunti
Mens, animique vigor, rebusque audacia major.
Et Patavî tenuere domos de more phalanges
Tentantes naturae adytus, omnesque recessus.
Tumque ultra incedunt, et Lucae ad limina pergunt,
Et nova Borbonidum sub Principe castra sequuti
Ignescunt, iterantque viri certamina, et ipse
Dux animos regit, et torquet rationis acumen.
Sed paribus flammis, et cordis motibus acti
Contendunt urbem numero properare frequenti,
Qua volat austriacis aquila alis acta superbis:[1]
Atque trophaea locant illuc iterata labore,
Doctrina, studiisque novis, dum gloria multa
It comes, impellitque viros, et fastus ubique
Magnus adest Regum, et coeptis favet aura secundis.
Quis Deus interea regit haec molimina praesens,
Cui torquere animos datur, et suprema facultas
Tot regere ingenia, et scrutari semina nutu?
Vos, quibus e caelo primaevi numina saecli
Trudere mens fuit, et ritus abolere vetustos,
Quos sibi credulitas finxit, nunc parcite Divo,

Aeterna qui luce micans, et Numinis actus
Flaminibus, pulchrasque agitans fulgoribus alas
Italico assurgit Genius sub sidere laetus ; [a]
Et sacer interpres populis componere mores
Edoctus , tenebras differt , et semina flammae
Illius aethereae miscens per pectora gentis
Et studia atque artes alit ; incrementaque secum
Ordine ab integro traxit novitatis amore.
Ipse sed italicos vix tot crebrescere motus
Novit, naturaeque artes fervore citatas,
Adfuit illabens animis, aciemque fatigans
Ingenii virtute sua, et meliora volentes
Nunc huc, nunc illuc turmatim cogit in unum
Concilium, lustrans urbes, et lumine replens.
Nunc quoniam noscit concessum tendere gressus
Littora Parthenopes , et ibi sociare cohortes
Esse datum, virtus animo, multusque recursat
Gentis honos, et nota virûm solertia multa.
Nec mora, festivo sublatus ad aethera nisu,
Alternansque humeros alis fulgentibus, axe
Spectat ab aethereo placidas Sebethides undas,
Atque cito Regis celsa consistit in aede.
Hinc oculos flectens totam circumspicit urbem,
Vesevum intuitu figit, flammantibus auris
Ipso facem reficit, caeloque ut fulgur ab alto
Permeat irradians aulam, penetraliaque intus
Volvitur, atque atavûm Regum suffulta columnis
Aeratis, ac arte nova decora alta revisens,

His Regem aggreditur dictis, et missa per aures
Vox sonat: huc tandem mecum socia agmina ducam,
Ne pigeat, si forte tuas accedere ad oras
Tam sero statui: fuit haec ratione sagaci
Cura mihi, ut, postquam per tot certamina virtus
Pectora vicisset, varioque exercita motu
Crevissent studia, huc tandem magis aucta vigore
Ingenia afflarent nulla formidine capta.
Suave, tubae sonitu accitas spectare phalanges
Per campos, instructa acie, et fulgentibus armis;
Sed nil dulcius est bene quam collecta tueri
Agmina, quae certant tantum virtutis amore,
Unde hominum fit tuta salus, et copia rerum
Manat ab ingenio, doctrina, et mente reperta.
Hic quoque amor tibi: nec tantum pietasque fidesque
Magnanimo sub corde vigent, afflantque serenos
Vultus, ut precibus nunquam implacabilis obstes,
Sed superare flagras magnorum facta parentum,
Qua potes indulgens studiis, et fervidus instans
Undique Parthenopem cultu decorare superbo,
Allicis imperio populos, et legibus aequis.
Hinc tibi cura viros haeret non ultima cordi
Doctrinae addictos, gentemque fovere togatam.
Quid memorem totque artis opes, et dogmata multa,
Queis huc fida cohors mihi semper munera solvit?
Sed nunc crescet honos, dabitur nunc certa facultas
Unicuique inter socios clarescere chartis.
Gloria quanta manet dum jam venientibus ultro

Te dabis, atque pius sacrata in sede repones
Palladium! Late factis cantabere nostris,
Famaque tot meritos astris aequabit honores.
Haec ait, et magnum concussit numine pectus:
Atque iterum exagitans humeros pernicibus alis
Aëra per liquidum leviter superadvolat urbem,
Insidet et Speculae: caelorum templa serena
Respicit intuitu, et centum instrumenta laborum
Huc reficit face sacra: tum cathedras, passimque Lycea
Ipse tenens fulgore replet, numenque Minervae
Pectoribus revocans laudis spe corda fatigat;
Et multum huc illuc animos, sociosque fideles
Sollicitat tantis naturae incumbere coeptis.
Hinc ultra illabens populos, urbesque propinquas
Congressus monitu lustrat, longeque vagatur.

Interea magnos sensit sub pectore motus
Fernandus, mentemque nova dulcedine captam;
Si quando nedum Friderici, et facta Roberti
Exciderant animo, at stimulis impulsus avitis
Et studia, atque artes, coetusque fovere virorum
Nunc cupit, et patriae venturae ad limina genti
Consulere imperio, pulchrosque indicere honores
Decrevit. Cui summa tamen concessa potestas,
Principis auspicio, tutari haec foedera, et ausus
Hos regere unanimes? Te nunc, Sanctangele, primus
Urget honos: tibi jam series, ususque laborum,
Mentis et impigrae firmavit robore certo
Pectora, et ingenio, studiisque exercita multis

Haud munus meruisse negant : commercia rerum ,
Et faciles artes tibi dant arcana Minervae ,
Atque adytus penetrare omnes ; et munere Divûm
Nescio quo praesens afflat tibi spiritus artus ,.
Omnibus ornatum voluitque excellere rebus.
Qualia coepta dabis, dum jam te, maxime rector,
Per medias sic fata vocant has ire phalanges,
Praesentemque novis adigunt confidere factis !
Jamque rapit te multa recens solertia , et urget
Undique conversum studiis, et honoribus amplis
Praesidis officium patrios attollere fastus ;
Atque parare vacans quidve utile, quidve decorum,
Quidve bonum, ne multa absint cultoribus artis
Commoda, tecum alios niti praestante labore
Sollicitas, dulcique animos moderamine flectis.
Et veniunt ultro in curas, partemque laborum ,
Qui rite excipiant socios, [5] quique ore disertus,
Et doctus calamo redigat consulta sophorum. [6]

Sed nunc sponte redux animis it multa cupido
Volvere tot patriae casus, utque ordine miro
Huc tandem venere artes, atque aurea saecla,
Barbaries postquam nigra caligine septa
Hos toties gliscens pervasit inhospita fines.
Argolicas urbes heu quae nox obruit atra ,
Et genti immeritae quae damna huc fata tulerunt !
Quum glomerata phalanx, atque afflans ore cruento
Perfidus Aegaeon, quem tellus edidit ortu
Orbis in exitium, incessu tulit arma minaci,

Infecitque lares, quos magno Graecia cultu
Excoluit; passimque nece, et feralibus ausis
Fas omne abrumpens, scelere omni imbuta nefando
Iura dedit, pedibusque premens delubra profanis
Quam nimium fuso Tyrrhenum sanguine tinxit!
Impius has habuit segetes, et praedia Mavors,
Et late ferro heu! teneros populatuś honores;
Nec tum flava Ceres, nec pingui pampinus uva
Pausilypi; nec tum risere novalia cultu;
Et miseri tanto jactati turbine cives
Irrequieta malis agitabant pectora, et ipsum
Corruit ingenium, rerumque oblivia mentes
Coeperunt, et cor gelidum, moestumque coibat!...
Sic trepidae fugere artes, fugere Camoenae
Pollutae, ingluvie refluitque exterritus ipse
Sebethus, vocum harmonie siluere paventes
Sirenes, Geniusque loci sese occulit antro,
Barbarus extrusas misit dum pectore voces,
Horribilique sonos, et verba incondita hiatu!
Ast animus meminisse horret, luctuque refugit
Dicere nunc quot sacra patrum monumenta peresa
Barbarie! ut genus incultum, et cognata gygantum
Progenies tanti exegit monumenta doloris!
Sed jam dura nimis disjecta e cardine moles,
Ponderibusque suis ceciderunt ferrea tandem
Saecula: Aragonidûm coepit sub Regibus aetas
Gratior evolvi, et studiis mansuescere corda; [7]
Et nunc longe alius rerum proceditur ordo,

Et fulget sperata diu clementia caeli.
Carolus hispano genus alto a sanguine Regum
Borbonidum ducens, veniensque ad littora, secum
Fata prius meliora tulit, rebusque levamen
Ipse dedit, lenitque animos, sub sceptra reponens
Et populi mores, legesque, et jura penatum.
Sed magis huc illuc iterum munita trophaeis
Induit et formas, viresque recepit opimas
Exitio sublapsa suo pulcherrima Siren.
Advenisse deum senserunt flumina, et urbes,
Senserunt reduces artes, facilesque Camoenae;
Et vox dulce sonans numeris emissa theatri
Pectora, et ingenium mulsit: de nomine Regis
Stant monumenta diu, tardisque nepotibus ipse
Semina transfudit virtutum inserta per artus.

Et jam lecta cohors stimulis nunc Praesidis acta,
Lumine dum fulget Fernandi sidus avito,
Sumpsit onus nudare viris, et promere chartis
Quo nunc Parthenope fastu ditata superbo
Se tollit, panditque sinus, quidve intus, et extra
Ipsa alit, et qua vi tendit sua brachia ponto,
Ut possit facili, et certo procedere cursu
Advena, divitiasque suas mirarier omnes.
Aggrediuntur opus; [8] multaque cupidine laudis
Qui memorat patriae quot sint monumenta vetusta,
Quae passim occurrunt oculis sublapsa ruinis;
Et quae marmoreis surgant subnixa columnis
Divorum templa, ars olim quae gothica finxit:

Quique novum quam fervet opus decora alta reducens
Perque aedes, urbisque locos, et strata viarum,
Undique quae noctu flammantis spiritus aura
Ductilis irrumpens occulto fomite, complet
Luce sua, penetratque domos, lumenque diurnum
Ducit, et artificum vincit fulgore pyropos;
Utque etiam huc ultra pergit successibus artis
Ferrea Callis, et ipsa alias discriminat oras,
Vicinasque urbes: tormenti emissa cylindro
Vix properae dat signa fugae vox stridula, et aures
Tangit, et astra ferit, magna subeunte caterva
Extemplo valvae centum remeabilis aedis
Panduntur, piceoque sinus correpta vapore,
Fossiliumque alimenta inter, flammaque refusa
Aestuat undarum fremitu fornacibus intus
Machina ahena, tumens compressa vel aëre caeco
Cogitur ire procul, penitusque infusa per omnem
Vis agitat molem, ac urget violentior axes
Lamina bina super plexu intercepta rotarum:
Itque reditque vias rapidis pernicior euris,
Nec patitur fessis incommoda multa viator
Viribus, illuditque moris, atque inscius usque
Incessus, vix una levis perlabitur hora,
Iam jam longa decem bis millia distat ab urbe.
Miraque vis artis! currus quos saecula quondam
Finxere aëreos, hominum nunc daedala vincit
Mens freta ingenio, et nostri solertia saecli!
Pars numerat censum, et quae vis munita virorum,

Et quid opis, quantoque recens industria cives
Exercet studio, et quae sunt contermina genti
Littora, ut alma maris sedet urbs in limine, et amplum
Explicat ipsa sibi sinuato margine portum ;
Naturaeque, atque artis opus, quo plurima classis
Hybernat, tumidas quo non pavet aequoris iras.
Hic Rex effuso statuit navalia sumptu ,
Arma ubi , et artifices operum , tum multa supellex ,
Et noscant qui signa poli, et qui pixidis usus.
Unde fit ut validis percurrant navibus aequor ,
Et rapidis agitata rotis fremat unda dehiscens ,
Dum mare navigerum, patriae ceu numen avitum ,
Spectat amica Pharos affulgens vertice ab alto ,
Atque regit clara Tyrrheni lampade cursus.
Pars alia ingenuas artes, ac docta lycea ,
Et loca Musaei : quidnam huc , proh numina sancta!
Erigit et sensus, animosque tumescere cogit?
Huc poterunt prisci vestigia plurima saecli
Noscere, quidquid Roma suis, quid Graecia quondam
Artibus excoluit, quid finxit doctus Apelles
Arte sua; veterumque manu caelata magistrûm
Portenta! huc variis, circum simulacra virorum,
Certat imaginibus virtus contendere saeclis !
Atque oculis passim occurrunt miro ordine moles
Amphitheatrales, arcus, et marmore secto
Multa trophaea simul, fulgentiaque aere Corinthi
Scuta ducum, galeaeque, et multo stemmate nummi;
Atque adeo revocant primos ab origine mores,

Dixeris ut sedes prisci compendia mundi.
Singula quis memoret? series digesta papyrûm
Desuper apparet, merces ditissima rerum,
Queis et longa aetas, et fatorum ira pepercit.
Sed circum multa pictas huc arte figuras
Stat Raphael, stat multa recens sculptura Canovae.
Nec modus est rebus, nec adest mensura decori;
Sed nimium invisae Superis, et vortice flammae
Vesevi eversae Herculeae, et Pompeios urbes
Musaeum effossis pergunt ditare ruinis,
Ruderibusque evulsa suis quaeque ampla ministrat
Munera; et unde italo, ac omni supereminet orbi
Parthenope, nec Gangis opes nunc invidet ipsa,
Agmina nec centum gelido subjecta Trioni,
At regina sedet Geniis circumdata Romae.
Sed quis laude canet digna sublime theatrum,
Regis opus, divina intus si vincitur arte
Materies, longe superans miracula rerum,
Et magis affulgent nunc ostro pulpita, et auro
Pinnarum tractus, ferroque sedilia fuso?
Pectoribus fessis huc labitur alma voluptas
Harmonie vocum: mens huc recreata sophorum,
Naturae studia, et varios perpessa labores,
Deliciisque frui, captare atque otia possit.
Poneret hic moestum jecur Heraclitus, et olli
Truderet ignavum circum praecordia sensum
Festivis huc jussa suos iterare diebus
Compta puella choros, cui fulget sura cothurno

Aurato, nodoque sinus collecta fluentes
Crure tenus, molles agitat dum flexibus artus,
Sub pedibusque leves pulsat pernicibus auras,
Alternatque jocos, et ovanti se agmine miscet.
Sed dum multa legit patrio disposta fideli
Mens studio ingeniosa virûm pomoeria circum,
Et dulces latices, colles, et Vesvia rura,
Non oblita notat quaenam loca plena doloris
Exuvias miseras claudant! at marmore multo
Dum tumuli candent huc floribus intertexti,
Elysios memorant pendentes arcubus hortos.
Omnia pertentant magno sub Praeside, et ipse
Utitur ingenio, et longo praestantior usu
Efficit, huc tantum ne tellus, pontus, et aether
Alliciant faciles animos cultoribus artis
Iucundo sensu, plausuque, et amore receptis;
Sed Sophiae munire loca, et solemnibus aras
Instaurare focis jam nunc tenditque, fovetque,
Ut magnum pateat templum fulgore refuso,
Quo ritus inter varios, atque auspice Rege,
Agmina docta virûm valeant certare palaestra,
Atque iterare novo centum portenta labore.

LIBER SECUNDUS

At monitu rerum jamdudum fervere mentes
Incipiunt, jamque afflat amor Sirenis alumnis
Acrius ingenium, et concussae semina flammae
Illius [9] ignescunt, qui primum arcana latentis
Naturae volvit, potuitque accedere sacris
Caelorum templis, et virtus insita Divûm
Altius involvens olli mentemque animumque,
Fatidicum aetherio complevit flamine pectus.
Unde hominum informans mores, et prima pelasgae
Semina doctrinae teneros infusa per artus
Italicos miscens, primaevas foedere sancto
Huc Sophiae posuit sedes, ac undique fines
Magna per ausonios adolerunt nomina genti. [10]
Quin etiam multo certa ratione magis quam
Pythia, quae tripode ex Phoebi, lauroque canebat

Ambages, vulgans huc ipse oracula mentis
Extremi populos accivit finibus orbis.
Et Samii ni prisca sophi sententia fallit,
Quod reduces animae generatim in corpora migrent,
Haud dubio illius divini spiritus artus
Particula illabens foecundo lumine mentes
Implevit, passimque redux vigor almus inundans
Ingenia huc aluit patrio sub sidere, et extra
Processit series flammantia moenia mundi!
Et primum fulgore novo sibi Porta reclusit
Aethereas caeli sedes, perquo astra volutus
Se fixit, rapuitque facem caelestibus aris;
Et specula informans radio convexa reperto
Sidera concussit flammis, Lunaeque recessus
Pertentans, certo imposuit moderamine leges
Motibus astrorum: hinc hominum transfusa per imas
Mens congesta sophi fibras, e partibus omnes
Evolvit motus animi, scrutatus et extra
Tot mores hominum; [11] et quae vis magnetica dehinc
Dissita corporibus gignat miracula, [12] et unde
Machina tot varias fingat sine luce figuras. [13]
Atque iniit sic artis opus, quo longa per aevum
Gaudia portentat populis nunc Gallicus ille, [14]
Qui solis radio, et mira sub imagine captas
Proh superos! formas vario discrimine adumbrat,
Exprimit et vultus, et pulchrum dat decus ori!
Et quasi magnetis mira arte huc Porta sequaces
Innumeros traxit socios regione superna

Intuitu niti, et mentis pernicibus alis
Aëreas tentare domos, atque astra notare.
Sed dum solertes caelo commercia miscent,
Et speculis astrorum obitus testantur, et ortus;
Parte alia humanae mentis mirabile monstrum,
Ut vix mortali videatur semine cretus,
Sublimi Vicus saeclorum vertice adhaerens
Ingenio aetates hominum complectitur omnes:
Atque deûm ritus, et mystica signa recludens,
Et facta, heroumque vices ab origine volvens,
Incrementa novi secum socialia juris
Duxit; et arcano sapientia ab illius ore
Altius intonuit verbo, penitusque recursa
Qua sol ex oriente micat, qua pallidus umbra
Pergit ad occasum, discussit luce tenebras;
Et late populos monuit non temnere jura
Integra principio, et naturae prodita lege.
Hinc nova Pagano patriae sub sidere eodem
Lux oculos emissa ferit, vicitque tenacem
Vivida vis alium [15] doctrinae foedere, et ipsa
Luce Philangerius perfudit dogmata legum.
Sic latices ipsi magnis e fontibus edunt,
Ut quamvis aliena suos gens imbuat hortos,
Fontibus aeternis haud unquam vena recedet!
Quis referet memoranda virûm tot clara reperta,
Cultoresque artis caelo capita alta ferentes,
Qui patriae resonant huc gloria maxima, et unde
Parthenopaea viget fama, et decus omne per aevum?

At stimulis accensa novis vix corda nepotum
Ignescunt, et magna petunt oracula patrum,
Extemplo visae facies sub nocte silenti,
Et miris simulacra virûm radiantia formis
Huc illuc volitant: Fontanae, [16] umbraeque Cotugni
Assurgunt, tollitque caput Sirenis ab antro
Pontanus, Phoebique modis insignis, et astris;
Cumque Severino, et Lyppo, post fata resurgunt
Sarconis manes; Baglivi, et magna Cirilli
Effigies stetit ante oculos: perque intima corda,
Perque animos sese insinuant, et coepta nepotum
Sollicitant, et magna novo portenta requirunt
Congressu, dum quisque suam nunc suggerit artem.
Atque adeo redivivus amor per pectora gentis
Palladiae serpit, sic flagrat vivida virtus
Abstrusa in venis, ut magno concita motu
Jam loca conveniant studiorum, atque ordine longo
Congressi subeunt proceres, rerumque magistri,
Quique facultates animae, quique ore diserti
Denudant physicas causas, quique astra notando
Invigilant, et qui volvunt documenta salutis,
Pallentesque arcent morbos, et stamina vitae
Integrant; passimque alii qui limina mundi
Inscribunt chartis, qui rerum elementa revolvunt
Insita materiis, et qui telluris opimis
Artibus indulgent: omnes ratione sagaces
Ingenio rudimenta parant, et pabula menti
Jam nova suppeditant: juvenum manus emicat ardens,

Et studio, spes magna patrum, conversa fideli
Exagitat pulchros ausus, atque aemula virtus
Dat stimulos, suadetque animis confidere coeptis:
Pars flagrat studiis naturae poscere honores,
Adscribi in numero, et praecingi tempora lauro;
Pars alia incedit Florae per amaena vireta,
Et multum herbarum succos, et semina florum
Scrutatur: sedet ipse loci Linnaeus in arce
Praecinctus palla, et redimitus fronde decora,
Flectere cui nutu plantas, et magna potestas
Herbarum, et cui sunt almae commercia Florae.
Ipse sed obtutu vix torquet lumina circum,
Discutiunt plantae patulos tunc vertice ramos
Murmure laetanti, ac intentis auribus adstant:
Et nudat quis mirus amor, quisve insitus illis
Est vigor, occulto quem nutrit pronuba nexu
Natura, immiscetque fibras infusa per imas
Semina, et a teneris succos radicibus auget
Foetibus arboreis: hinc arbos altera ramos
Tendit in alterius nativo pondere ducta;
Altera et afflatu, ac immisso semine mota
Alterius sese nexu propiore maritat,
Portentatque genus dias in luminis oras
Educens foetus, et largius ubere lactat.
At multa vates [17] quaesitam indagine earum
Commemorat speciem perpendens omnia censu:
Et docet, inciso qui surgant tubere caules,
Quaeque inserta imis vigeant nova semina fibris,

Et varios densent succos, penetrentque meatus,
Educantque alias, vix rupto cortice, gemmas:
Quaeque peregrinae, ac alio sub sole comantes
Huc etiam vernant plantae, atque ignota colonis
Seminibus variis exotica provenit arbos,
Quae licet orbe procul nativo mota, nec illi
Est eadem natura soli, tamen induit ipsa
Huc mores, patrias foecundans semine glebas.
Ac veluti pleno genitrix alit ubere prolem,
Et dulces natos sensim grandescere cogit,
Perque artus pascit teneros sua lumina, et ulnis
Blanditur, fovet inque sinu, totiesque revolvit
Tegmine sub tenui; sic Florae cultus alumnus
Indulget plantis: studet hanc defendere sole,
Ne teneros feriant radiorum spicula ramos,
Et frutices urant; fragili namque indole baccae
Haud nimium calidos patiuntur luminis aestus;
Hanc arcet flabris aquilonum, et frigore cauri,
Et tegit umbrosa contexta e vimine silva;
Has locat admotas interdum solis ad auras,
Et modo sub dio liquidum sinit aethera pasci;
Atque illis alimenta refert ratione, modoque,
Donat et occulto succo pinguescere fibras.
Tum passim herbarum percenset nomina, et illas,
Quae parili gaudent cultu, pariterque beatis
Proveniunt hortis describit rite, latentes
Vestigans vires, et quaenam occulta potestas
Ductibus, et foliis miro sub tegmine serpat.

Et vocat ad ritus festantes agmine flores,
Quique oculos visu captant, quique aëris afflant
Effluvio sensus, quiquè aegros semine certo,
Atque sua virtute levant: aeque omnibus ille
Commemorat speciem, formam, fastusque decoros.

Sed primum roseos aperit vix Phosphorus ortus,
Conjugis et puro descendit rore benignae
Iuppiter in gremium delapsus sidere ab alto,
Quam vario natura loci distincta colore
Induitur forma! Quam circum thessala Tempe
Luxuriat, specieque nova discriminat hortos
Hesperidum! Passim roranti germine quisque
Flos hiat, inque sinus permanat roscidus humor,
Et vapor exhalans partes diffundit odorum;
Explicat ipsa alas e caelo discolor Iris,
Frondiferasque domos avium super incubat arcu;
Atque cito volucres percussae corda sua vi
Insiliunt, vocum integrant modulamina laeta,
Permulcentque animos; et jam pellucida rore
Limina nota patent, roseisquo instrata tapetis
Succinctae Nymphae, zephiris agitantibus alas,
Incedunt; jam quaeque novis se floribus ornat,
Vernantesque rosas, violas, mollesque hyacinthos,
Narcisumque legunt, et nectunt crine coronas.
Tum qua descripto versatilis aëra gyro
Se explicat, innexis per gaudia mutua palmis
Adglomerant sese, et festantes rite choreas,
Dum circum litui, atque arguto barbita plectro,

Vocalesque tubae complent concentibus hortos,
Immiscent, et certa vago vestigia ponunt
Incessu; jamque huc absolvunt flexibus orbes,
Iamque illuc, trepidante solo, glomeramina motant,
In numerumque pedes agitant, nunc aëra pulsant
Suspensae, rectoque agiles dant corpora motu,
Nunc cedunt sine lege retro, nec passibus aequis
Insiliunt, revocantque gradus nunc ordine, et uno
Agmine consistunt: iterum magis ipsa fatigat
Incita vis artus, ludoque absistere cogit.
Et festis jam pulchra cohors de more soluta,
Dum pergit quo quamque trahit jucunda voluptas,
Atque cupit salicum sub tegmine ponere membra,
Exclamat residens umbroso vertice Chiron:
Illius ah! nimium, Nymphae, ne cedite ramis
Arboris; huc arcete pedes, si forma, decusque
Est cordi: penitus fragiles vapor inficit artus,
Inficit et sensus, atque huc venisse pigebit.
At nimium confisa suae pulcherrima formae
Clymene, niveo cui sub velamine pectus
Leniter illabens zephiris quatit aura reductis,
Nescio qua praeter solitum dulcedine capta
Illuc jam gradiens ponit vestigia, et eheu!
Protinus emissum nigro de semine virus
Spiramenta subit, vitaeque intercipit auras
Morbida vis sub corde means, et pallida virgo
Lilia ceu tenero languent declivia collo,
Deficit! occursantque ululatu e tramite Nymphae,

Omnibus et coit immissa formidine sanguis,
Atque comis arcent serta, et complexibus illam
Collapsam excipiunt gremio, stratoque revellunt,
Atque fovent gelidos artus, supraque fatigant;
Quaeque sinus, vinclo quos stringit fibula, laxat,
Atque comae solvit nexus, quaeque anxia palmas,
Liventesque manus tractans fomenta caloris
Admovet, et tumidis iterata dat oscula labris,
Atque genis revocare rosas vitalibus auris
Molitur frustra; nam torpet anhelitus oris,
Nec reducis dat signa animae: tumque agmine moesto,
Callirhoe qua lene fluit ditissima lymphis,
Adducunt, miserosque artus per colla, humerosque
Lustrali aspergunt latice, innantemque per undam
Naribus admorunt Nymphaeam, et flamina vitae
Jam revocant, spe quaeque inhians illius ab ore
Pendet... at ipsa trahit tantum suspiria corde...
Ah virgo infelix! jam primos novit amores,
Et serum gemitu cordis suspirat amantem!
Sed propere, circum valles dum vocibus implent
Luctisonis, Eurilus adest, visuque repente
Horrescit, steteruntque comae, sed pectore anhelo
Clymenem clamore vocat, dulcesque requirens
Eloquii voces implet singultibus hortum,
Odit odoriferas plantas, incusat et herbas,
Crudelesque deos, crudelia sidera clamat
Huc illuc sine mente ruens... Sed providus inde,
Vesanos arcens deliri spiritus aestus,

Chironis petit ipse aras, et sic prece blanda,
Ah ! te per Superos, ait, et per numina Florae
Magna precor, miserere animi non vana ferentis,
Eripe, namque potes, morbo, et miserere puellae
Sensibus amotae nigro sub caudice, serves
Dimidium tu dulce meae, partemque reducas
Incolumem vitae : tibi sunt commercia florum,
Atque potestates herbarum, et semina nota :
Hic reduces ultro, si spes non fallit amantes,
Conjugio juncti stabili de more quotannis
Solemnes ambo donis cumulabimus aras.
Cui senior : non omnis inest secreta facultas
Herbarum fibris, non omnes fata dederunt
Occultae penitus causae penetrarier; et nunc
Non violas tractare decet, nec myrtea serta :
Vade age : fatidicûm Vesevi oracula vatum
Consulere, et chalybum forsan tentare latentes
Praestiterit vires, nimium ni fata puellae,
Staminaque inficiant obliquo lumine Parcae.
Nec plura his : celer ille moras, sub corde recursa
Spe multa monitu vatis, jam rupit, et urbis
Qua data porta, ruit propere, et vestibula centum
Arte nova laborata tenens, quo callis eunti
Ferrea dat faciles adytus, subit ipse *Vaporem*,
Atque repertori tanto gratatur, et ultra
Evehitur, tacito secum sub pectore volvens
Dicta senis; visuque praeit jam Pontia Tempe, [18]
Herculeaeque volant orae, et Retina recedit;

Sed tantum ipse locis oculos inflexit amantis,
Atque solo figens trepido vestigia gressu
Jam petit ascensu sacri fastigia montis.

Arx [19] ibi lynceis nunquam tentanda profanis
Assurgit, tollitque apices ad sidera summas,
Cardinibusque humeros ultro Vesevus ahenis
Objicit, atque regit certo fulcimine molem.
Quondam caecum iter, et pene irremeabilis error
Audentes inferre gradus ad culmina montis
Implicuit, retroque arcebant compita gressus
Scrupea, si quando instabant adeuntibus ultra
Abrupti scopuli rugosa pumice strati;
Et saxum informe, ingens scabrae tubera frontis
Attollens, dorsoque minax, quem saecula centum
Rimantur, sese vetuit custode tueri,
Servabatque locos, et limina, tramite clauso.
Adfuit at praesens jamdudum brachia mille,
Millenasque manus agitans Labor arduus, atque
Edomuit, secumque tulit moderaminis artes;
Annuit et Regis favor, incaluitque Ministri
Cura vigil: jam callis ibi per inhospita cautis
Tuta patet, longoque excurrit plurima tractu,
Atque pedes inferre sinit: vestigiaque ipse
Intulit huc, dum magna parat cultoribus artis
Praesidis officio patriae monumenta decorae,
Festinatque opera, et steriles contendit arenas
Vertere in humanae praesentia commoda vitae.
Moeniaque assurgunt jam celso in vertice montis,

Ferreus et muros intercipit annulus, aedis
Praefulcens lapides quadrato segmine junctos;
Frons minet, et varias geminat sub sole patentes
Huc illuc facies, atque ipsa ars Dorica tractus
Pinnarum cohibet pulchris decorata columnis:
Tectorum hinc, atque hinc moles mira arte sub ipsa
Assurgunt podii in speciem, et contermina caelo
Culmina, et antiquo protendunt brachia fano;
Nec procul hinc patulo se mons abscindit hiatu.
At domus interius curvum sinuatur in arcum,
Et triplici rerum sese discriminat usu.
Quantus honos Speculae! quae dos, et magna supellex!
Stant circum tormenta operum, stat sphaerica moles,
Et variis sese implicitant fulgentibus axes
Nexibus aeratis: artes Labor extudit ipse,
Et nova Vesevo, et caelo commercia miscet.
Sed vix ignivomos pandit Vulcanus hiatus,
Visceribusque alimenta refert vis flammea caeco
Fomite, vel quando crebro tonat arduus aether,
Concipiunt calidos aestus tunc pectora vatum,
Arrectaeque flagrant immisso flamine mentes,
Seque polis, ac igne novo rutilantibus astris
Immiscent vigiles, et flammae semina quaeque
Scrutantur, quaeque eveniunt regione superna,
Et quae Vulcani volvuntur follibus intus
Inquirunt, rapidique meant ut fulminis ignes
Discidio flavae nubis, ventique procella,
Et tonitru magno quatiuntur caerula caeli;

Unde tremit tellus subter concussa ruinis,
Atque nives, pluviaeque cadunt, et grandinis imbres
Turbine concrescunt; tum quae praestera coruscas
Assimilant flammas, miscentque elementa vaporis;
Et passim Lunae motus, Solisque labores,
Atque metallorum vestigant viscera, et omnes
Denudant causas, rerumque oracula vulgant.

Jamque Eurilus adest, ac illi se obvius ultro
Obtulerat socium custos longaevus Eremi,
Multa super memorans Vesevum facta, vicesque;
Insuper et monuit ne gressus tenderet ultra,
Quandoquidem propius furit indignatus hiatu,
Et contra audentes Vulcanus gurgite sorbet: [20]
Liquit et ante fores, et flectens lumina caelo
Solvit vota pius repetens de more sacellum.
At juvenis jam magna tenens penetralia sedis,
Respicit ut vatem venientem e limine ad aras,
Continuo exclamat: miserandae fata puellae
Huc adigunt sedes accedere cominus: illam
Arboris heu morbi species, inopinaque nuper
Perculit effluvio, et pallentes detinet artus!
Dic quibus e certis, et eris mihi maximus Atlas,
Pharmaca seminibus valeant nunc ferre levamen:
Luce mihi dilecta magis mihi servat amorem
Pulchra suum, statui thalamos, propriamque dicare.
Haec ait: ille ultro stimulis commotus obortis
Indulget, tumidoque calent sub corde citata
Flamina, sed chalybum tunc magno numine plenus

Viscera percussit radio, truditque reposta
Semina, et inde nova medicatos porrigit illi
Arte globos, multisque hortatibus insuper implet.
Atque iter inceptum festinans omine laetus
Jam notas repetit sedes Eurilus, et illam
Cunctantem mulcet dictis, solvitque timores:
Atque cito admoti noscit medicaminis haustu
Quam subito mirum pulchro de corpore semen
Detrudat virus: vitali concita motu
Clymene jam laeta suos intorquet ocellos,
Exhilaratque animos: valles, collesque resultant
Nympharum fremitu crebro; gratantur et illi
Linnaeo, Genioque loci, et miracula vatis
Vesevi memorant: ambo rapiuntur anheli,
Et celerant sacras thalami praetendere taedas.

Non ignota cano, ut par est, in millibus usus
Praestiterit chalybum, ferrique innata potestas.
Atque metallorum jam nunc in honore facultas
Creverit, et rerum patefiunt semina cuncta,
Dum centum jam freta oculis Ars Chymica fibras,
Claustraque naturae penitus perrumpit, et ille
Spiritus igne furens athomis elementa repostis
Dissolvit, dirimit, tenuatque in frusta minuta,
Vel quando e foculis, et collo fossile [21] ductus
In sublime vapor fertur, sive illa liquentem
Ipsam animam cogit guttatim evadere fibris,
Et cito qui latet in rebus deducitur extra
Spiritus, atque oleum, sal et, secretaque virtus

Truditur e venis, atque intima quaeque patescunt.
Jamque notant artis gelido incrementa sub axe;
Nec minus italicos urget solertia multa,
Instigatque novis animos incumbere coeptis.
Sed nunc ipsa magis patrios exercet alumnos
Incita vis artis, multisque laboribus illam
Perficere unanimes tentant, atque agmine facto
Phlegraeos lustrant certo molimine campos,
Sulphureosque lacus, tepidosque e gurgite fontes;
Quique tenent Baias, qui multa indagine Thermas,
Qui Stabias agitant; laticesque, et semina noscunt,
Atque notant calidos antra exudare vapores,
Aestibus, et rapidis tolli fervoribus undas.
Atque tua, Inarime, freti auxiliaribus artis
Balnea pertentant armis, iterumque Typhaeo
Elidunt cerebrum magno sub pondere, et omnes
Laestrigones, [22] passimque cava de mole Cyclopas,
Miscere audentes ignavi pectora vulgi,
Praecipites turbant: animis vigor aestuat almus,
Et nova templa flagrant spoliis incedere onusti
Naturae, mediosque viros concurrere anhelant,
Certare ingenio, et decerpere laude coronas.

LIBER TERTIUS

Nec patriae tantum laetissimus eminet urbi,
Culminaque attollit magno decorata trophaeo,
Aeternatque vices, et facta, et nomina gentis,
Nunc regit et vates, et eos nunc temperat aestu
Vesvius ignipotens; sed fons ditissimus ipse
Undique phlegraeos congesto sulphure campos
Intus alit, fibrasque meat, dum subcava montis
Viscera contorquet naturae exercita lege,
Qua late occultum flammarum semina miscet
Dissita per latices, silicesque, atque intima terrae,
Omnia quin oculis pateant; nempe altius illi
Principium, graviorque subest intrinsecus aestus.
Hinc quando fremitus circum cratera coërcet,
Nec vomet accensis liquidos fornacibus ignes,
Tunc nova visceribus subter vis flammea serpit,

Iungit et ignivomos cognato foedere montes:
Foederaque igniferi montes, proh numina sancta!
Protendunt, et inest ipsis sua saepe voluptas.
Vesvius ut novit magnos instare tumultus,
Sensit et attonitos circum praecordia motus,
Colligit extemplo vires, tenuique volutus
Igne meat raptim, et vapido correptus amore
Abdita pertentans aetnaei viscera fratris,
Furtivo petit amplexu, penetratque medullas,
Flaminaque immiscens it venas diditus ardor.
Atque ultro indulgens fratri tunc concipit ignes
Aetna suos: calidos artus, aestuque perustum
Exertans humeris dorsum, et fornacibus intus
Exagitans folles, accenso ex aëre cogit
Fulminea caeli tractus splendescere rima;
Atque cito horribili, veluti tonat aethra, fragore
Insonuere cavae flamma crepitante cavernae,
Et reboant longe Lilybaei, et celsa Pelori
Culmina, et acclivi colles micuere Pachyni.
Ipse sed arcani vestigans viscera montis
Labitur ima petens, tenuique volumine ductus
Corripit Empedoclis manes:[23] atque illius extra
Spiritus erumpens actutum permeat oras
Ortygiae, pariterque citus super advenit ille,[24]
Fulmina qui torquens speculis trepidare carinas,
Belligerumque ipsum cogit pallescere Martem;
Instigantque animos ambo, subitoque recursat
Pectoribus tunc artis honos, et gloria gentis

Emicat, attollitque suos Trinacria fastus,
Rebus opima bonis, ac tot foecunda virorum,
Quorum aluit seriem, quae mundi primitus ortu
Excoluit studia, et medio quae fulsit in aevo:
Nec modo degeneres animos, et corda nepotum
Arguit, aut volvit nigra caligine mentes;
Robora sed patrum, et virtutum semina venis
Nunc inserta novis immiscent viribus artus.
Jamque iter exegit, qui caeli scandere sedes
Edocuit, certo procedens tramite, et unde
Aeterno affulget Fernandi nomine sidus.[25]
Atque omni studiosa manus clarescere in arte
Fervet, et ingenio moliri magna reperta:
Quique huc inter opes, quas serica gaza ministrat,
Nunc studia, atque artes humanae impendere vitae
Usibus expediunt, et miscent utile rebus;
Quique aurum, argentumque fluat qua divite vena
Exagitant, volvuntque ima tellure fodinas,
Et noscunt multis naturae arcana repertis.
Sed quo mentis inops, quo praeceps irruit ille, [26]
Insperatus amor cui torquet pectus, et atro
Miscet felle dolor? quaeque effera coepta minatur?
Nox erat, et rubro radiabat lumine Phoebe,
Nec procul Aetna micans reboabat murmure crebro:
Si quando ah! miserae nimium, innuptaeque puellae
Stamina ruperunt Parcae, fatisque negati
Optati thalami, nunc illi est caeca cupido
Exangues tentare artus, et corde potiri!

Jamque aderat, comitesque faces per opaca locorum
Ferali sub luce micant, umbraeque silentes
Haud obstant, nigroque regens sub tegmine cultrum,
Jam loca, jam lethi formas, pallentiaque ora
Detinet, et ferro .... ah! gressus, dextramque coërce,
Parce pios lacerare sinus, manesque sepultos
Sollicitare! gravique en ipsa miserrima letho
Excutitur; vultusque tibi maestissima flectens
Exitium, tantumque nefas objurgat, et ultra
Coepta vetat! non prisca fides hos suggerit ausus,
Nec pietatis amor, gladiumque averte furentem,
Ne liceant huc usque morae! ... Paulumque morata
Mens dubio percussa pavet, revolutaque membra
Ter suspensa tenet, si quis super halitus erret
Vestigans, ter verba vocat commotus, et aeger
Exuvias spargit lacrymis! Tamen effera vicit
Mens stimulis agitata novis, atque intima ferro,
Horresco referens, terebravit pectora, et extis
Cor madidum vellit, nimiaque cupidine caecus
Respicit, atque oculos insano pascit amore,
Et notat huc illuc per hiantes viscera rimas,
Et quaerit quo fibra latet, quae flaminis aestu
Vitales inter motus exarsit anhela!
Sed tamen unde queat naturae abrumpere leges,
Illaesumque tegat? subit ipsa audacia facti,
Atque cito mira arte parat nova semina, et intus
Cor fudit: stupet ipse videns sub corde volutos
Fibrarum motus, vivoque tumescere venas

Sanguine ; sic passim quae vitae foedere discors
Protulerat natura mori quasi membra vigore
Imbuit , atque afflat quos liquit spiritus artus.
Sed ni fata retro cessissent laudis avara
Impulerat coeptis artem majoribus ille [27]
Saxificam inspirans animam , cranioque potitus
Ipse medusaeo durescere cogerat artus.
Quid tamen hi nobis? quam certo munere visus
Ille [28] oculis melius nunc affert lucis amorem ,
Et juvat arte sua: atque utinam melioribus ausis
Mirum opus absolvat , qui [29] purgans *tabe senili*
Membra vigore novo complet , reficitque iuventa ;
Atque senum nunc coepta iterat subeunte caterva ,
Qui cupiunt saniem , et squalentes ponere barbas.
Hoc foret in votis: hoc inter gaudia motos
Undique Congressus agitaret sedibus imis ,
Atque omnes fremerent plausu inter nuntia laeti
Cultores artis , si quando protrahere aevum ,
Multaque doctrina vitalia vincere saecla ,
Rebus , et inventis possent maioribus uti!

Italus interea Genius convexa polorum
Transvolitans , postquam concussit sidera late ,
Atque faces agitans animos accendit ad artes,
Hetruscas repetit sedes , et tendit ad oras ,
Qua primum tenuisse viros tua moenia , Pisae ,
Tantae molis erat sociato foedere mentis.
Et Ligures tranans iterum super insidet urbem ,
Quae [30] magno pontis labentem intercipit arcu

Eridanum ; passimque dehinc qua volvitur Arnus
Nuntia laeta ferens redit almae ad moenia Florae : [31]
Magnanimoque Duci praesens affulsit , et ultra
Advolat , et Patavi sibi notas detinet aedes ;
Sed lapsu celeri Lucensibus adfuit oris ,
Invenit et multos scrutantes balnea [32] vates.
Hinc Aquila austriadum radiis percussa coruscis
Protinus assurgit , rapidoque occurrit eunti
Remigio alarum : subit ultro , et sedibus altis
Constitit ipse suis ; stimulisque citatus anhelis
Itque reditque loca , et laetis successibus explet
Pectora , ubique animos itala ratione requirens.
Verum ubi collectos huc illuc fervere alumnos
Respicit , has fudit rutilanti ex ore loquelas :
Qui mecum accestis socii ad certamina rerum
Abrepti unanimes , et vos jam septima portat
Naturae studio insignes , et honoribus aestas ,
Nunc quoque summa manet vos laus , et gloria multa.
Quandoquidem natura suis immensa repostis
Eminet arcanis , et , ni irritata , coërcet
Regna , nec occultas rerum dat noscere causas ,
Sic omnes juvat in melius Congressibus artes
Colligere , et contra vires opponere mentis.
Et vos jam mecum toties spolia ampla tulistis ,
Et mihi crevit honos , si quando nomen avorum ,
Et studia , et mores , laudesque , et facta refertis.
Nec resides animos nunc vobis arguit ille ,
Qui primum eloquio naturae viscera movit , [33]

Regnaque caelorum harmonie, numerisque replevit:
Nec qui reclusit stellantia moenia caeli,[34]
Et mecum ad Superos vexi radiantibus alis,
Ipsaque natura obmutuit, sceptrumque reliquit.
Sed nunc Parthenope vos omnes agmine laeto
Quos inter plausus manet! et certamen anhela
Visendi, monet ipsa omnes succedere portum.
Magnanimum vidi Regem fulgore micantem
Borbonidum, facilesque animos sociabilis artis
Subuisi monitu; et qui magno munere lectus
Dux, valeat regere ingenio, et tutare cohortes
Principis auspicio, jam nunc agit impiger ausus,
Et patriae, et rebus moderamine consulit aequo.
Jamque animi flagrant, atque incitus ardor ubique
Pectora gentis habet, magnis clamoribus artis
Tyrreheni resonant orae, Campanaque tellus,
Finitimaeque urbes laeta inter nuntia motae
Sollicitant vates; quin et libramine ductus
Aligero tenui Nicatis culmina,[35] et illuc
Egregios vidi socios accedere ad hortos
Naturae; ac alis ultra pernicibus actus
Insedi aerei super axibus Apennini:
Illuc ante oculos sese utraque Sicelis ora
Obtulit, et vitreo qua labitur Hadria fluctu
Solertes vidi cives; et numine nostro
Ingenium crevit, studiumque, animique facultas.[36]
Eja agite, o socii, atque novas properate coronas
Doctrina: ad magnos quisquis festinet honores.

Haec ait, et quatiens divinae semina flammae
Vatibus inspirat numen, rapidoque volatu
Ausoniae late populos, urbesque propinquas
Detinet, informans animos hortatibus iisdem.
Verum ubi proturbat varia sub imagine somnos,
Huic et Volta suos retegit, Galvanus et illi
Vultus, et magnos certant immittere sensus;
Atque ultra illabens intorsit lumina Tybri,
Et redeunt animo fastusque et gloria gentis.
Sed superans Alpes, et lucis spicula vibrans
Ostendit, quod sceptra suae si fata negarunt
Italiae, tamen ipsa novum Rationis, et Artis
Imperium profert magnis virtutibus auctum!

Atque adeo Genii sonuit vox missa per aures,
Ac animis micuere faces, praesensque cucurrit
Laudis honos, ut sic non bellicus aestuet horror
Quum tuba festinat fraterna caede cohortes.
Jamque adsunt proceres artis, sociique fideles
Conveniunt, flagrantque omnes incedere ad oras
Parthenopes, si quando redit memorabile tempus,
Quo primum italicis affulsit gloria rebus.
Atque cito tunc arma parant, quaeque arma potentis
Ingenii! geminant plausus, atque agmine facto
Discedunt Thusci, et portum tenuere Liburni.
Ecce improvisus glomerari e vertice molis
Fumus, et antevolans euris insultat, et undis
Italicus *Vapor*, ac alta cervice lacessens
Sidera, jam Ligurum laetis properabat ab oris;

Atque vehens gremio, Genio praeeunte, receptos
Cultores alios, portum stetit Herculis ante. [27]
Festivi subeunt Thusci, *Vapor* excipit omnes:
Atque iterum foculis flammantibus aestuat intus
Machina ahena, sinusque cavos it dissitus ardor,
Atque agitata rotis subter fremit unda dehiscens.
Nunc mihi belligeros quantumvis, Graecia, nautas
Objice, et heroes mentiti velleris aurei. [28]
Atque silent boreae, zephirisque tepentibus acta
Laetificat, cives quos nunc domus evehit una;
Jamque inter sese permiscent murmura laeta,
Verbaque doctiloquo fundunt ex ore vicissim;
Dirigit et cursus jam clara lampade Luna,
Astraque navigero caeli regionibus altis
Dant alimenta mari, et tremulo fulgore coruscant.
Atque juvat potius quam claudere lumina somno,
Pectore delicias naturae has carpere pleno,
Et cursus, tractusque maris, vigilique rotundum
Currere mente polum, et caeli variabilis oras.
Atque agitant, noctem longo sermone trahentes,
Cur non ipsa suo splendescat lumine Phoebe,
Et geminet facies spatio revolubilis anni;
Unde nitor Veneri, fluidus quisve aethera pascat,
Et quo volvantur motu vaga sidera, et ipsa
Accipiant, reddantque ignes sub nocte vicissim;
Utque agitans crines ventura volumine flammae
Accedet terrae sese propiore comaeta; [29]
Quique novi memorat studiis versatile multis

Praesidis ingenium, sub cujus signa phalanges
Nunc properant laetae; quique omni ut praedita cultu
Parthenope innumeros vates ad sidera tollit,
Et studia, et mores, et amor sociabilis illuc.
Jamque tenent portum Centum prope littora Cellae, 40
Excipiuntque alios magno clamore sequaces
Turmatim appulsos tranquillo e littore nuper
Massiliae, ac aliis illuc regionibus actos.
Jamque Aurora polo roseo pulcherrima vultu
Emicat, et noctis detrudit ab axe tenebras:
Vix tamen exoriens se rubra mole levabat
Phoebus, et ignitae torquebat spicula flammae,
Extemplo Genius sese libramine tollit
Alarum, lucisque globos, omnesque reflexos
Se circum recipit radios, reficitque potenti
Igne facem, et vultus phoebaeos induit almos.
Et crebros geminat radios sol molis ahenos
Circum orbes, rutilatque *Vapor* pulcherrimus ipse,
Atque repercussis renitet fulgoribus aequor;
Nec Divûm interpres assurgit Nereus alter,
Qui foedo genitus satyro dira omina jactet,
Excidiumve canat volvens sub pectore flammas;
Sed circum vocis solvit modulamina Siren,
Ut numeris resonent immissis leniter undae.
Quaeque animo captant laeto spectacla benignae
Naturae! nunc quemque tenet jucunda voluptas.
Multa super memorant, abrepti mentibus altis,
Artificem summum, qui rerum elementa diremit

Luce sua, miroque implevit inertia motu
Corpora, et aequato firmavit pondere caeli
Foedera, zonarumque orbes, vitalibus auris
Altius informans hominum, et genus omne animantum!
Et properat festiva suos arx nautica cursus,
Vimque magis vapor intus alit, fremituque per undas
Volvitur, insultatque salis levis orbita spumis.
Jamque in conspectu Cumaei littoris adstant,
Nec procul apparent Capreae, Inarimeque propinquat,
Nec juga Pausilypi, et Sirenum culmina distant.
Verum ubi Vesevus respexit vertice ab alto
Festantem incessu classem procedere foetam
Vatibus, emicuit praesens tunc luce benigna.
Et primus residens summa Dux arce *Vaporis*
Parthenopem clamat stimulis commotus, et omnes
Parthenopem socii laeto clamore salutant;
At strato recubans molli dulcissima Siren,
Et formosa sinus circum cratera resolvens,
Allicit, invitatque omnes accedere ad oras.
Jamque sua ante oculos Hermis [41] supereminet arce,
Desuper et perstat muris spectabilis Aegle; [42]
Sed tandem festiva Pharos succedere portum
Accelerat, rapidoque iterum tunc flamine motus
Ocyor assurgens Genius super incubat urbem;
Et veluti ex utero Danaûm delecta virorum
Fudit equus, *Vapor* ipse sinus, valvasque recludens
Sponte sua reddit ductores Palladis artis.
Et subeunt urbem, sociorum se agmine miscent,

Littore quos Zancle, [43] quos miserat ante Panormus,
Nuper et e Catana ventis cessere secundis;
Quique Tarentinis aderant felicibus oris
Architae studio insignes, et nomine avito.
Et passim occurrunt alii, qui pixidis usum,
Atque repertorem tollunt ad sidera civem; [44]
Et vates simul ipsa suos Lucania tellus
Miserat, ingenio, doctrina, et luce redemptos
Thelesii, Brunique nova ratione sagaces, [45]
Et Campanellae studiis melioribus auctos.
Cultoresque Elea suos in foedera misit,
Atque sophi [46] memor ipsa Croton adjunxit alumnos
Nomina magna patrum, ritusque, artesque ferentes.
At cito Frentani, et moniti venere Peligni,
Et Marrucini spoliis Nicatis onusti;
Picentesque etiam, et Vestini sidere eodem
Orti, gens clara ingeniis, et fortibus ausis.
Et paribus stimulis Daunos, Marsosque volentes
Egit amor, multumque agitant qua Fucinus arte
Siccari possit, submittat ut arva colono.
Hinc alii atque aliis socii regionibus adsunt,
Festinantque iter, et perculsi laudis amore
Ingenii rudimenta parant, certantque frequentes
Adscribi in numero, et citius sub signa vocari.
Tunc concussa sinus studiorum maxima sedes
Concipit ipsa novos, haec inter nuntia, motus;
Atque cito occurrit sociis venientibus ultro.....
Parthenopaea cohors studiis insignis, et illos

Excipit ingeminans plausus ; junguntque tenaces
Amplexus inter fraterno pignore dextras ,
Instaurantque fidem , et laeto sese ore vicissim
Agnoscunt , qui castra simul , qui prima sequuti
Signa sub Hetrusco Duce , praefulgentibus armis
Nunc aderant artis veterano nomine clari.
Atque animi raptus inter diffusa per urbes
Incrementa nova , et pulchros Congressibus orsus
Attollunt , memorantque vices , et parta trophaea.
Undique sed fusi cives , coetusque virorum
Proripiunt sese tectis , it mobile vulgus ,
Atque implet clamore vias , reboatque Toletum
Vocibus , atque latus geminum protendit , utrinque
Artificum late gemmis , auroque renidens ;
Multaque barbarico fastu digesta supellex
Luxuriat , sonituque crebro quatit ignea saxa
Quadrupedante volans sub curribus ungula , et axes
Huc illuc rapidi fervent , cursuque remenso ,
Qua faciles urbis festinat Olympia [47] gressus ,
Qua Megare [48], et qua pulchra suo Platamonis [49] in undis
Inspicit ore , rotantque leves tot strata viarum ,
Undique festivis quae nunc ornata trophaeis
Exultant , lychni dum pendent arcubus, atque
Innumeri complent almis fulgoribus urbem. [50]
Atque alacres equites fastu , et matrona decora
Indulgent pompae , primaque aetate puellas
Ipsa rapit rerum novitas , et deserit ultro
Otia nobilitas , et clarum nomen avorum

Arguit haud molles animos, penetrantque receptae
Nunc artes aulas, et apertis atria portis.
Interea proceres magnatum ex ordine lectos
Muneris urget honos: stimulis concordibus ambo [51]
Ritibus invigilant, censuque fideliter usi
In numerum referunt titulosque, et nomina gentis;
Et legio decorata virûm sese agmine magno
Miscet, et ante Ducem procedunt rite cohortes.

LIBER QUARTUS

PRINCIPIO sed cura Dei sub corde recursat,
Sollicitatque viros; quoniam uno sanguine cretis
Nec tantum vox una sonat, mos unus, et idem
Pectora vincit amor, sed cultu et ritibus iisdem
Conciliat nos una fides, venerandaque patrum
Unica relligio naturae haud absonā legi.
Instructaeque acies sub laetis Praesidis alti
Auspiciis jam templa Dei, sacrataque tangunt
Limina, non ut nunc solemni more sacrorum
Turicremas cultro vitulus mactatus ad aras
Sanguinis expiret calidum de pectore flumen,
Concidat aut virgo trepidans ante ora parentis
Exitus ut felix ducibus, classique daretur;
Sed precibus scateat quidquid rectique probique
Aeterna de mente fluit, certissima quiquid

Fert secum ad terras veniens sapientia caelo.
Jamque aris aderat gemmata in veste sacerdos,
Atque ferens vittas , puraque in luce refulgens
Arcano intonuit verbo , reboantque repente
Tunc aedis convexa sacrae , lumenque coruscum
Accipiunt arae, et centum solemnia pompae
Festa chori , totidemque tubae comitantur ovanti
Agmine, divinisque animos concentibus implent.
Gloriaque excelso certatim nunc datur Uni,
Caelorum qui cuncta throno sibi foedera jungit
Sceptra regens , nutuque silet natura , pavetque ,
Funditus et quatitur concussi machina mundi.
Sed pia relligio siquidem nos pignore pacis
Caelicolis junxit, Fidei mysteria tantae
Dum celebrant votis, subit imo in pectore fixa
Tantum cura Dei, et captas dulcedine mentes
Aeterno beat illapsu fons unicus ipse.
Atque preces iterat duplices ad sidera palmas
Attollens , plenoque Dei petit ore sacerdos,
Ipse opifex rerum haec almas ad praelia vires
Sufficiat, regat ipse viros, et Flamen amoris
Erigat ingenia , et praesens nunc mentibus adsit.
Atque viri noscunt flamen per pectora lapsum ,
Ac iterum flexo venerantur poplite numen ,
Et templo evadunt festa comitante caterva.

Panditur interea quam nunc ditata superbo
Ornatu domus alta , suis quae clara trophaeis
Eminet , et media fulgens assurgit in urbe.

Atriaque apparent variis suffulta columnis,
Sublimesque apices tangunt; subterque, supraque
Se circum reserant aulae, cathedrasque decoras
Attollunt plauduntque viris, moresque rependunt.
At procul ignavum vulgus detorquet, et arcet
Huc praesens Sophiae numen; namque illius artes
Huc, studia, et ritus: stant laudes limine primo,
Stat meritis quaesitus honos: effusa juventus
Acriter ingenio studiis incumbere certat,
Atque triumphali praecingi tempora lauro.
Jamque huc ante alias patet ampla exedra theatri
Prolata in morem, et coeptis accomoda tantis
Nunc magis ipsa cupit pulchros certaminis orsus.
Atque viri subeunt alacres, Rex advenit ipse,
Et secum Regina novos adjungit honores;
Astat et ipsa omnis cognato e sanguine Regum
Inclyta Progenies: crescit fiducia rebus,
Et collecta cohors se jam discriminat intus
Ordinibus variis, aulaeque sedilia complet.
Verum ubi composito tenuere silentia vultu,
Dux circum flectens oculos, et pectora mulcens
Sic orsus: toties, vos, qui felicibus ausis
Naturae studia, et multa cum laude labores
Experti unanimes, haud inferiora reposcit
Parthenope huc etiam famae monimenta futurae:
Et signat jam quaeque gradus molimine vestro
Ars, et ubique novis inventis prorogat usus.
Nec minus et nostra suis ditissima Siren

Artibus excellit: foecunda huc munere caeli
Dat faciles adytus naturae evolvere fibras.
Et magis huc artes studiis impulsus avitis
Rex auget, dulcique animos moderamine lenit.
Vix ea fatus erat, stimulis commotus obortis
Magnanimo Rex sponte sua de pectore motus
Persolvit, gratesque refert, et vox sonat alta:
» Esse sibi populi curam sub corde refixam,
» Nunc omnes italos nullo discrimine habere,
» Atque fovere artes, rebusque adstare secundis.
Incaluere animi, et reboans effunditur ultro
Toto e concilio clamor, palmasque retundunt,
Omnibus et laeto resonat Fernandus in ore.
Auspice sed tanto Praeses haec insuper addit:
Sed vos in melius dum jam movet ipsa facultas
Perficere, atque novis artes protendere coeptis,
Nunc magis ingenii vires impendite vestri,
Ut crescant late virides telluris honores;
Muneribus namque ipsa ferax ante omnia praestat,
Fortunasque, et opes hominum conservat, et auget.
Hic nova, solertes animae, nunc gloria vobis
Sternit iter; nomenque diu, laudesque manebunt.
Talibus atque aliis vates accendit ad artes:
Atque iterum Rex vota explet, seque agmine miscet;
Atque iterum Regi plaudunt clamoribus altis,
Praesidis et celebrant, quas fuderat ante, loquelas.
Atque acres flagrant omnes, calor ardet in ore
Plurimus, atque duces jam per suffragia laetis

Delecti auspiciis, totidemque ad bella cohortes
Distinctae coëunt huc illuc castra sequutae.
Sed natura sedens, veluti regina, coërcet
Nunc opibus tria regna suis munita, nec ultro
Dat sacros penetrare adytus; sed eo magis acrem
Irritat virtutem animi, cupiuntque tenaci
Proposito fixi portarum abrumpere claustra,
Atque ortus aperire novos. Jamque agmine primi
Scrutantur genitis quae sint exordia rebus,
Et qua vi coeant genitalia semina in unum;
Utque sua gravitate ruant, centroque recedant
Corpora, principiis, et bina exercita lege;
Sidereasque plagas et pulchros aetheris ignes,
Atque agitant ut Luna etiam sit nota calore.
Et passim audentes subtilius intima volvunt,
Qui magis inventis cupiunt elementa resolvi
Insita materiis, rerum ut summa latentum
Partibus ex imis manifesto in lumine promat.
Atque tubis freti quae non miracula gignant,
Et nova corporibus non trudant semina lucis?
Calculus inde subest, et adest mensura laboris,
Unde omni praestant usu, lateque profundum,
Atque omne immensum scrutantur tramite certo.
Ast alii ignescunt iteratis motibus artis,
Atque sinus terrae varios, faciemque recludunt:
Ut toties revoluta globi, volventibus annis,
Machina mutarit formam, perpessa labores;
Utque ubi nunc flores, et surgunt gramina laeta

Informes posuere immania corpora phocae;
Utque ubi pendentes scopulis haesere capellae,
Nunc tantum fuscis statio gratissima mergis.
Insuper et memorant qua saevit frigidus axis,
In silicem monstrorum artus, et corpora versa,
Quae nunc enutrit Ganges vitalibus auris,
Significare plagas quondam fovisse calorem:
Quique metallorum ipsius per viscera ductus
Telluris referunt, et quo ditissima vena
Fonte novo scateat; quid opis nunc comperit ipsa,
Artibus et multis adoleverit utilis usus:
Quique novis fisi chartis confinia mundi
Ostendunt, certoque notant discrimine partes,
Suppeditantque dato peragrari limite fines,
Ut late meliora hominum commercia crescant.
At simul hinc alii certant novitatis anheli,
Et magis herbarum pergunt ostendere vires,
Et varios succos, moresque, et nomina noscunt;
Arboribusque etiam, et pulchris quae frondibus insit
Virtus, atque ipsas peregrino germine plantas
Evolvunt, multumque agitant protendere censum;
Sed magis italicos, dum ponunt ordine classes,
Unanimes clamant adolescere floribus hortos;
Et passim utriculos, fibras, et vascula cernunt,
Humoremque notant, partes qui fertur in omnes.
Hinc diversa cohors stimulis, et laudibus iisdem
Corpoream revocat speciem, et genus omne animantum
Certatim inquirit: qui longo examine foetus,

Et caveis effossa novis nunc ossa ferarum
Grandia subjiciunt oculis; quique antra marina
Scrutati memorant piscosa per atria coetum
Squamigerum, et variata modis chonchylia miris,
Ostreaque, et flexis delphines caerula ponti
Verrentes caudis, ipsoque in margine festos;
Atque alii volucres caeli supera alta tenentes,
Et quae pervolitant telluris sedibus imis
Vestigant, pariterque obitus scrutantur, et ortus.
Sed ferro terebrant dum corpora quaeque minuta
Vitales certant membratim volvere motus.
Explorantque etiam ferro discreta sagaci
Viscera, et humani textum mirabile cordis.
Acrius et medicos rapit in certamina multos
Aemula vis artis; sed quid sub pectore numen
Excussisse feror? praesens Higiaea dicatum
Vindicat ipsa sibi vatem, laticesque salubri
Fonte haurire dedit, suadetque revertere ad aras. [52]
Vos sequar, atque ultro, quos jam veneranda vetustas
In gremio excepit, multis et honoribus auctos,
Agmine jam facto, simul haec ad praelia misit;
Et priscae unanimes congressi ritibus artis
Nudatis quae facta patrum monumenta recludant,
Atque hominum multos insculptos stemmate mores.
Et patria huc vobis dat multum adolescere in arte;
Atque suas aperit gazas quocumque latentes,
Antiquis si cura subit clarescere factis;
Ipse etiam vobis multa cum laude receptis

Facta canet Genius patrias memoranda per urbes.
Succeduntque alii, qui nunc telluris honores,
Culturamque agitant omnem, praestantque repertis;
Et nudant qua fulva Ceres, vinetaque laeta
Arte queant caules, dulcesque educere foetus;
Quidve onus agricolae, et qua pingui uligine tellus
Nutrimenta velit dum vertunt arva ligones;
Et sationis opes, atque insitionis opimas
Commemorant species certa ratione modoque,
Unde omnes nitidae fruges, arbustaque surgunt.
Tum quos prata lacus, quos rivos pabula quaerant,
Et pecudes, armenta boum dent crescere, alique.
Multaque praeterea volvunt documenta vicissim,
Ut possit natura omnis ditescere agrorum.
Omnibus at demum, collectis viribus artis,
Quo pacto inquirunt alii natura resolvi
Aurique, argentique queat; quo tincta colore
Vellera luxuriant; et qua vi ductilis ipse
Nunc vapor e foculis cunctas differtur in artes,
Ut magis artifices rerum miracula promant,
Et late inventis operum fastigia tangant.
Singula quis referet? quis digne pectoris aestus,
Et specimen, quod quisque suo sub praeside pulchrum
Ingenii ediderit stimulis rivalibus actus?
Ista notent alii studiis melioribus usi,
Festinentque opus, et certent inscribere chartis
Nomina magna virûm, doctrinam, atque acta referre,
Ut nunquam italicis abolescat gloria fastis.

Plurimus interea Regis favor adstat, et omnis
Laetitias inter discussit fastus habenas :
Jam pompae, jam multa manent spectacula vates,
Ut sensu possint jucundo, et mente teneri.
Hinc alibi acciti laetis accumbere mensis
Festinant omnes studio, curaque soluti ;
Atque alia excepit festantes aula palati.
Deliciasque novas fert secum blanda voluptas
Hic epulas inter, quas cornu copia pleno
Fudit, et ornatu rerum cumulata supellex
Undiqne barbarico, fastuque refulget opimo ;
Luxuriant ac inter opes vasa aurea signis
Caelata, argentique jubar mantilia complet.
Jamque dapes manibus famuli miro ordine lectas
Suppeditant, mensasque onerant, et pocula ponunt ;
Atque effusus odor nares it dissitus imas,
Et recipit vires stomachi imperiosa potestas.
Et pateras implent spumantes nectare dulci,
Quod juga Pausilypi praebent ex ubere glebae,
Quin ipsa invideant alio sub sole comantes
Et Bromii vites, et mitia poma Dicarchi.
Jam fugit ipsa procul Pallas, solatiaque inter
Ingeminant plausus, et jucundo ore vicissim
Multa super memorant usus spectabilis urbis,
Et populi mores, et Regis munera laudant.
Hinc cyathis iterum plenis, et vocibus altis
Congressus dant vota Duci, Regemque salutant.
Viribus atque cibo sumptis, dapibusque refecti

Assurgunt omnes, mensaeque sedilia linquunt;
Et vertunt gressus quo tramite Olympia cives
Allicit urbanos; Regisque ad rura propinquant
Arboribus late patulis, et consita dumis
Florigeris; et quisque illuc se se aëre pascit,
Atque oculis lustrat candentes marmore vultus.
Tum nova qua Megare recludit strata viarum
Incedunt, passimque ultra vadentibus ipsis
Occurrunt alacres diffuso crine puellae,
Atque citae manibus vivo dant sulphure plena
Pocula, certatim dum pugnant unguibus acres.
Nec multum tenuere morae, et palatia Regis
Jam prope, qua magno sese explicat aëra circo,
Consistunt, mirantur equûm miracula ahena;
Et Regum impositos attollunt mole colossos [53]
Quadrupedes, patulisque afflant e naribus ignes.
Miranturque etiam templi monumenta decori;
Nec procul incessu vertunt vestigia, et ipsos
Spectatum admissos Regis sublime theatrum
Jam tenet; et gradibus se huc illuc atria pandunt
Marmoreis, postesque recens diffusile lumen
Luce replet, seseque intus discriminat amplo
Aëra circuitu, fusique sedilibus aeris
Stant munita loca, et rubris decorata tapetis
Tercentum nunc arte nova se pulpita circum
Innectunt, supraque minent spectacula scenae.
Sed lycni ingeminant radios sic ordine quino,
Matronaeque nitent gemmis, puroque adamante,

Ut nequeant oculi immensa se luce tueri.
Jam festae dant signa tubae, reboantque fragore
Timpana concussa, et jam picta aulaea recedunt,
Atque sophi tunc multa animi solatia captant.
Quis digne memorare omnes huc arte magistros
Nunc valet, unde etiam harmonie caput inserit astris
Italia, atque implet totum concentibus orbem?
Huc rettulit pulchras toties cum laude coronas
Qui sensus, et corda trahens modulatus Othellum, [54]
Ac omnes olli numerosas tradidit artes
Orpheus, et Genius divino flamine pectus
Implevit, secumque alis ad sidera vexit:
Illius [55] et Norma haud unquam reticenda canoris
Vocibus huc famam, et siculos attollit honores.
Ah! nunquam appulsus longinquis advena in oris
Tam cito correptus cecidisset frigore lethi!
Ipse aquila in medios iret velut altera cycnos,
Et melos integrans leniret pectora, et aures.
Huc toties repetita placet Vestalis, et auctor [56]
Parthenopem mira fretus modulaminis arte
Allicit, et merita praecingit tempora lauro.
Atque huc Anna suis animos tetigisse querelis
Harmonias inter gaudet; [57] plausoris itemque
Dulce canens Sappho mulcet praecordia plectro. [58]
Comicus et fastus vocum inter munera; et illa
Huc animos etiam dia dulcedine cantus
Permulsit, tenuitque aures velut altera Siren. [59]
Sed iam festiva haec inter spectacula scenae

Succinctae nymphae coriphaeis agmine junctae
Incedunt, secumque adsunt muta ora ferentes,
Qui motus animi volvunt interprete nutu,
Et vultu, et manibus: jamque unus, et altera gyros
Nunc hos, nunc illos absolvunt passibus aequis,
Atque simul nunc arte novos complexibus arcus
Effingunt avidi, paulumque tenaciter haerent;
Sed tantum nunc illa suas fervore citatas
Dat zephiris plantas librato corpore, et illum
Nunc tenues findentem auras rapit aemula virtus;
Et peplis nunc compta novis pars mimica gestit,
Atque iterum glomerata cohors, discrimine facto,
Certatim ludit pedibus: fitque undique plausus,
Et fremitus inter reboant convexa theatri,
Ac omnes laeti placida sub nocte recedunt.

Sed primum croceos aperit vix Lucifer ortus
Phoebus et intorquet radios, lateque relucent
Marmora Tyrrheni, et vires excita recepit
Parthenope, calet ipsa cito rediviva facultas
Ingenii, atque alacres assurgunt mentibus altis
Palladii vates; animis redit ipsa cupido
Certandi, atque iterum tenuerunt castra Minervae.
Sed natura sibi tantos dum poscit honores,
Ignava huc artes aliae torpedine captae
Mutescent! huc ubi, proh superos! vaga sidera amorem
Musarum insinuant blandum per pectora vatum?
Huc ubi Synceri resonat concentibus almis
Mergellina sui, chonchis plaudente Camoena; **

Nec procul umbrosae recinunt Chlorintida silvae,
Et Surrentinis blanditur collibus echo?
Huc Pindi latices, sunt huc et Apollinis arces,
Vos, quibus angligenae truculento carmine musae,
Vel quae sequanicae diffuso sanguine ovantes
Ingenium mulcent tam parvo foenore laudis! [61]
Acrius at vates nunc torquet percitus oestro
Pontanus, stimulisque animos irritat avitis;
Naturaeque artes etiam dum colligit omnes
Phoebaeas latices sacro de gurgite promit:
Et numeris assueta cohors, et cincta coronis
Pimplaeis, patriae laudes, nomenque virorum
Certatim digno modulari pectine flagrant;
Atque animi motus, et dulcia carmina plectri
Nunc adamantinis certant committere praelis. [62]
Hinc alii atque alii correpti motibus iisdem
Indulgent Phoebo, fidibus plauduntque canoris;
Atque ego sollicitans manes, et sacra Maronis
Numina, et instinctus thyrso, pallaque vetusta
Praecinctus, tumuli pia vota ad templa resolvo,
Ne tot facta virûm his possint abolescere chartis.

At loca Musaei magno fervore citati
Artis Apellaeae complent de more sequaces,
Quos Rosa, quos Calaber [63] praestantes finxit alumnos,
Maximus, et multa Solarius imbuit arte;
Et Raphael sub corde meat, divinus et ille
Angelus informat caelesti semine pectus.
Ipsi etiam studio, et capti novitatis amore

Ingenio certant naturae effingere partes ;
Atque ultro natura suis huc prodiga formis
Dat sacros illis picturae accedere fontes.
Perque animos sese insinuat vis illa creatrix ,
Et jubet aeternas telis educere formas ;
Dantque acres operam certo fulcimine laudis ,
Et rudimenta locant pictis variata figuris :
Qui patriae mores , et facta domestica telis
Effingunt , fitque arte redux pulcherrimus heros :
Qui Solis , Lunaeque ortus , pelagique furores :
Et nemora , atque lacus , et flammantem igne Vesevum.
Sic omnes certo partes discrimine adumbrant ,
Partibus et pulchre sociant elementa colorum ,
Ut verae tangant animos sub imagine formae.

Sed proceres artis jam nunc de more soluti
Concilio , propere incedunt spectacula rerum
Ut nova nunc capere haec inter miracula possint.
Omniaque excussis reserant sese atria valvis ,
Aulaque Musaei , quanta est , en panditur illis !
Huc huc sceptra regens residet veneranda Vetustas
Relliquias super Herculeae , et Pompeios urbis !
Sed tamen ipsi afflant vivo de marmore vultus ,
Borbonidumque decus , fastusque , et gloria fulget.
Picturata patrum series parietibus altis
Eminet , et perstant simul exemplaria multa.
Omnia collustrant oculis subterque supraque ,
Haustibus et captant latices dulcedinis almae.

Ast animis haeret jamdudum fixa cupido

Delicias urbis ferrato carpere calle;
Succeduntque iterum laeti prope littora portus,
Quae resonant late vulgi clamoribus altis,
Saepius et magnis fretus popularibus auris
Histrio multa refert Rhodumundi, et facta Rinaldi;
Conciliumque etiam tenet huc, et callidus arte
Ipse animos regit, et circum stipata caterva
Auribus arrectis narrantis pendet ab ore.
Nec procul ipse suo Sebethus littore euntes
Ut videt, annosos humeros, et gloria onustos
Exertat, patriaeque novos hos signat honores;
Ast illos jam laeta vehit via ferrea plaustris,
Atque omnes laetos excepit Pontia Tempe.
Et nova monstra viris huc inter florida rura,
Ac tot Regis opes oculos, et pectora mulcent.
Vix tamen Herculeos stimulis majoribus acti
Devenere locos, Vesevi ex arcibus altis
Occurrunt vates: et sacri ad culmina montis
Tendunt, et quocumque pedum vestigia ponunt
Naturaeque notant monumenta, et semina rerum.
Ut ventum ad sedes, vivo de gurgite vates
Divitias promunt, et montis viscera nudant.
Ipse ter ante viros reboavit murmure laeto
Vesevus, ter luce micans comitatus euntes.
Post Pompejanas ipsi tenuere ruinas,
Et gemitu cordis saevi monumenta doloris
Inquirunt, passimque domos, et funera gentis,
Romanasque aras, et priscae rudera famae.

Tum Stabias, laticesque omnes indagine noscunt,
Et gaudent rapti naturae munere ubique.
Hinc repetunt urbem; et studiis majoribus aucti
Exagitare novis pergunt congressibus artes.

Maximus interea Praeses secum omnia volvit,
Ulterius ne multa viris solatia desint;
Statque iterare magis, nec publica gaudia differt,
Atque accivit eos, propriaque in sede recepit.
Conveniunt proceres, festis clamoribus aedes
Jam resonant, et late ostro, gemmisque renident
Caelatos apices inter, stratosque tapetas;
Allicit hinc omnes plenis accumbere mensis,
Quae luxu gaudent parili, fastuque refulgent:
Laetitiaeque adsunt, iterum jam pocula versant,
Deliciasque urbis memorant, monumentaque visa.
Atque dehinc simul ipse suas dat cernere Praeses
Divitias artis, digestasque ordine telas,
Et collecta magis nummorum pondera multa
Stemmatibus priscis, opibusque recentibus aucta.
Atque omnes illi gratantur plura loquentes,
Et miscent animi motus, unaque recedunt.
Hinc urbis flectunt circum pomaeria gressus,
Et pergunt quo terra levis, quo parva sacella
Ossa tegunt, quo nunc assurgit marmore secto
Candida Relligio, et signum praetendit amoris
Relliquiis miseris, et pacis munera poscit.
Atque notant patrum spes quanta huc aggere terrae
Clauditur, et quas huc cognato a sanguine dulces

Exuvias tumulus tegit, et quot nomina clara
Huc resonant circum, et tantum sine viribus umbrae.
Quot redeunt saevi memori sub corde dolores!
At sacro cineri seri sub vesperis horam
Solvunt vota pii, superorum ut pace quiescat.
Sed magis, atque magis dum pugnant acriter omnes
Artibus, et cupiunt optatam tangere metam,
Haud alios naturae adytus accedere linquunt,
Et pergunt quo quemque trahit sibi nota facultas:
Quique iterum Euboico gaudent se credere ponto
Perque Pithecusas, et parvi Gurgitis undas; [64]
Atque auri, argentique, et ferri ductibus illuc
Sulphura, Calcanthon [65], Nitrum, Magneta, Pyriten, [66]
Quidquid et uberius venis, et Alumine manat
Saxa per, et latices salebrosa sub antra requirunt;
Et late scopulos, Epopaei et viscera montis, [67]
Explorant, olim ut liquidos ejecerit aestus
Culmen, et occultum nunc ignis per loca serpat.
Et tenuere etiam Myrmecum, [68] et saxa Marontis [69]
Undique tentantes naturae evolvere fibras;
Sed capti huc illuc varia sub imagine rerum,
Laudibus Aenariam memorant, fontesque beatos.
Quique tenent Capreas, cupiuntque accedere sedes
Teleboûm, Prochytenque, et pulchrae Nesidos oras;
Perque Didarchaeas alii spatiantur arenas,
Et tangunt olim claris penetralibus aedes,
Ruderibusque abrupta suis Neptunia [70] templa;
Et quo se extendit circo spectanda vetusto

Aëra, Romuleo quondam celebrata senatu; [70]
Et loca collustrant studiis votiva Minervae,
Auctori sat nota suo [71], quo saepe clientum
Jurgia fallendo revocavit ad otia musas,
Et nunc musa recens plectro modulata canoro est. [72]
At Triviae fanum, eversaeque Serapidis arae
Dant nimium fluxi specimen lacrymabilis aevi!
Cumarumque alii festinant visere sedes,
Et tripodas, Tymbraee, tuos, atque antra Sybillae,
Ac, olim decora alta, arces, inscriptaque late
Daedaleae monumenta fugae, nunc saxa peresa,
Quae tegit huc illuc dumis paliurus acutis.
Interea Genius, quidquid de semine caeco
Laestrigonum purgans, et complens pectora luce,
Respicit ut vates spoliis incedere onustos,
Occurrit, jamque ipse suas sub signa cohortes
Convocat, atque iterum turmatim cogit in unum
Concilium; properantque viri sub Praeside, et artes
Ter quinos iterasse dies sub Rege receptas
Borbonidum gaudent; resonant clamoribus aedes
Undique concussae, trahiturque a pectore pectus,
Immiscentque animos, laetoque ex ore vicissim
Verba edunt, iterata novis dant pignora amoris
Auspiciis, multumque Duci gratantur, et omnes
Parthenopem, sociasque artes, moresque decusque
Attollunt; simul ipsa suas laetissima Siren
Tunc aperit formas pulchra sub imagine, et illis
Se tradit; magnumque fovet sub stemmate natum, [73]

Excidat ex animis ne tanti gratia facti.
Omnibus interea studiis, atque acriter usus
Viribus ingenii, cui tot documenta referre
Cura subest, [74] nunc facta virûm, atque oracula mentis
Colligit, et flagrat doctis inscribere chartis,
Et patriae fastis: utque aere perennius extet
Exigit italicae monumentum nobile gentis. [75]

Stentque diu monumenta novis sociata repertis,
Egregii vates: doctrina, et semina rerum
Italicis inserta animis foecunda vigebunt,
Fortunasque hominum cogent succrescere in aevum.
Sed durate magis; magis haec vos aemula virtus
Et regat, et tantis naturae incumbere coeptis
Sollicitet; bellique faces, iraeque quiescant
Praeterea, et patriae Genius communis ad oras
Diversas rapiat pacato foedere junctos;
Jamque iterum vocat ipse omnes quo magna resultat
Fama viri, [76] potuit qui mundo adjungere mundum;
Atque illuc magis ipsa novos visura triumphos
Vos manet Italia, et suetos festinat honores.

NOTAE

1. Difficultates in pangendo de Napoleone Epicum Poema.
2. Consule — *Atti della prima riunione degli Scienziati italiani tenuta in Pisa nell' Ottobre del* 1839.
3. Mediolanum.
4. Plerique de Genio accuratissime scripserunt. Quin referam sententias omnes, quae faciunt ad rem nostram, quisque per se judicet ex hisce verbis*: Si tu n'as ni delire, ni ravissement, si tu ne trouves que beau ce qui transporte, oses tu demander ce qu'est le Genie? Homme vulgaire ne profânes point ce nom sublime. Que t'importeroit de le connoître?* Diction. de musiq. Rousseau.
5. Adsessores — *Comm. Antonio Spinelli de' Principi di Scalea. March. Angelo Granito di Castellabate.*
6. Primus a Secretis — *Cav. Giacomo Filioli.*
7. Ferdinandus praecipue, ac Fridericus Reges Aragonenses.
8. *Guida di Napoli ed i luoghi celebri delle sue vicinanze.*
9. Pythagoras.
10. *Per haec studia tota Italia philosophis referta fuit, quae antea obscura erat, postea Pythagorae causa Magna Graecia appellata est.* Jamblicus.

11. *De Humana Phisiognomonia. Lib. IV.*
12. *De Mirabilibus Magnetis Lib. VII.*
13. *De Refractione Optices Lib. IX.*
14. Aloysius Daguerre.
15. Antonius Genovensis.
16. Franciscus Fontana.
17. Vocabulum *Vatis* non solum pro peculiari poesis charactere, sed pro qualibet artium eminentiori facultate usurpari solet. Plinius nuncupavit medicos *Vates medicinae.*
18. Pontia Tempe. *Portici*, ab ejus conditore Pontio Aquila cive romano plebis Tribuno, si fides habenda est Benedicto de Falco in opusc. cui titulus: *Descrizione de' luoghi antichi di Napoli, e del suo Distretto.*
19. Specula Meteorologica.
20. Plinius, et alii multi Vesevi flammis combusti.
21. Vas Stillatitium.
22. Laestrigones gigantibus non absimiles, qui, ut memorat Pontanus, conveniebant in meatibus, locisque subterraneis viatores spoliandi libidine. Nunc per eos intellige inscitiae alumnos.
23. . . . . . . Deus immortalis haberi

    Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Aetnam
    Insiluit . . . . *Horat.*
    . . . . . . Cum primis Empedocles est,
    Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris.
    . . . . . .
    Nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se,
    Nec sanctum magis, et mirum, carumque videtur.

    Luca. *Lib. I.*
24. Archimedes.
25. Ceres Ferdinandaea, quam ex Panormi Specula astronomica *Piazzi* detexit. Licet ipse Siculus non esset, in Sicilia tamen Astronomiae mirabilium sategit.
26. Tranchina, qui *Injectionis Arsenicalis* methodum invenit.
27. Hieronymus Segato.

28. Consule. *Il Lucifero anno ottavo pag.* 156.
29. Doctor Gordonez. *Il Lucifero pag.* 154.
30. Augusta Taurinorum.
31. Florentia.
32. Balnea Lucae summopere laudata Chemiae cultoribus.
33. Danthes.
34. Galilaeus.
35. Nicates — *Majella*, mons in Abrutio quamplurimis medicinalibus herbis refertus.
36. Consule *Il Gran Sasso, d'Italia opera periodica di Scienze naturali, ed Economiche*; et lege etiam — *Discorsi di Giuseppe Devincenzi.*
37. Portus Liburni, seu Herculis Labionis.
38. Per hoc pelagum argonautas navigasse confirmant Plinius, et Strabo.
39. Ab Astronomis in hoc anno praedicta.
40. Centum Cellae. *Civitavecchia.*
41. Hermis. *Monte Santermo.* Ex Pontano.
42. Aegle. *Pizzofalcone.* Ex eodem auctore.
43. Zaucle. *Messina.*
44. Flavius Gioja.
45. Quoad ipsius doctrinas, quae religionem non adversantur.
46. Pythagoras.
47. Olympia. *Chiaja.*
48. Megare. *Castel dell'Uovo.*
49. Platamonis. *Chiatamone.*
50. Dies festi in honorem Deiparae Virginis, pompa non intermissa, et solemni apparatu ab initio Congressus fere usque ad finem, non parum laetitiae fuerunt Cultoribus scientiarum Neapoli hoc anno congredientibus.
51. Adsessores.
52. Ne pigeat, lector benevole, consulere — *L'Anemanno di Quintino Guanciali voltato in Italiano per Raffaele d'Ortensio col testo latino a piedi — Napoli Stamperia e Cartiera del Fibreno* 1844 — In quo auctor de medicina profusius.

53. Carolus III, et Ferdinandus IV.
54. Rossini.
55. Bellini.
56. Mercadante.
57. Donizetti.
58. Pacini.
59. Malibran.
60. Jacobo Sannazar che alle Camene
    Lasciar fa i boschi, ed abitar le arene. ARIOSTO.
61. Ne nobis caperata fronte succenseant, sententiam nostram judicio exterarum gentium et de Poesis, et de Musices arte sic confirmamus. — *Veux-tu donc savoir si quelque étincelle de ce feu dévorant t'anime? cours, vole à Naples, écouter les chefs-d'oeuvres de Léo, de Durante, de Jommelli, de Pergolese. Si tes yeux s'emplissent de larmes, si tu sens ton coeur palpiter, si des treissaillemens t'agitent, si l'oppression te suffoque dans tes transports, prends le Métastase, et travaille: son Génie echauffera le tien; tu créèras à son exemple.* ROUSSEAU.
62. *Agli Scienziati d' Italia del Settimo Congresso dono dell' Accademia Pontaniana. Napoli Stamperia e Cartiera del Fibreno* 1845
63. *Andrea Preti.*
64. Parvi Gurgitis. *Gurgitello.*
65. Calcanthon. *Vitriolo.*
66. Pyriten. *Marcassita.* Lapis metallicus ad aeris similitudinem. Meminit PLIN. Lib. 36 cap. 19.
67. Epopseus. *Monte Epomeo.* Aliquando ignem vomuisse testantur Strabo, et Plinius.
68. Myrmecum. *Scogli delle Formichelle.*
69. Saxa Marontis. Vulgo. *Promontorio de'Maronti.*
70. Neptunia Templa. Nunc etiam indigenis *il Tempio di Nettuno.*
70. Anphitheatrum.
71. Villa M. Tullii Ciceronis.
72. Lege. *Il viaggio Poetico de' campi Flegrei di Giulio Genoino.* Siquidem graphice, et perbelle haec loca omnia auctor describit.

73. Innuitur ad numisma, quod Cultoribus scientiarum datum est, in cujus exergo imago I. B. Vici insculpta fuit.
74. Primus a Secretis.
75. Acta hujusce Septimi Congressus ab ipso conscribenda.
76. Columbus.

Taedet me, candidissimi Iudices, quod non omnia propter angustias temporum, uti mihi mens erat, amplecti potuerim. Agnovi materiam amplissima Epopoeja foro dignam; sed mihi vix tribus mensibus tanto incoepto operam navare concessum, et praesertim Lib. IV. et partem Lib. III. intra hos paucos dies Congressus confeci, et citissime mandavi typis, ne fugeret occasio exhibendi vobis hoc leve documentum laeti animi mei.

Auctor.